

morationi speciali quæ tertio loco dicetur ; unde statuitur, hanc Orationem pro Gratiarum Actione esse dicendam post Commemorations speciales, sed semper ante Orationes Votivas, stricte vel late sumptas, ex. gr., ante Commemorationem SS. Sacramenti expositi, et ante Orationem imperatam.

APPENDIX

De colore paramentorum in Missis Votivis

Q. 234. *Quis paramentorum color adhiberi debet in Missis Votivis?*

PRÆNOTANDUM. De coloribus paramentorum dicitur in Rubricis generalibus Missalis (Tit. XVIII, n. 1) : « Paramenta Altaris, Celebrantis, et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio, et Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ : quæ quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, et Nigro. » Quæ de his coloribus adhibendis dicenda sunt, explicantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (QQ. 120 ad 133).

R. I. In Missis Votivis de Sanctis adhibetur color paramentorum idem qui ab Ecclesia præscribitur in celebratione eorum Festi. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Augusti 1667, n. 1357, antiq. 2417, ad 3.) — Excipitur Missa Votiva de SS. Innocentibus, in qua, etsi in Missa Festi color violaceus sit præscriptus, color rubeus semper adhibetur. — Igitur erit color, ex. gr., albus in Missis Votivis de B. Maria, de Angelis, de Confessoribus, de Virginibus ; — erit rubeus in Missis Votivis de Apostolis (exceptis Missis Votivis S. Joannis Apostoli et Evangelistæ extra tempus Paschale, S. Petri ad Vincula, et Conversionis S. Pauli, in quibus color albus adhibendus est), et de Martyribus.

II. In Missis Votivis de Mysteriis colores adhibentur : albus in Missis de SS. Trinitate, de Angelis, de SS. Eucharistia, de SS. Nomine Jesu, de SS. Corde Jesu ; — rubeus in Missis de Spiritu sancto, de Cruce, de Pretiosissimo Sanguine D. N. ; de Instrumentis Passionis D. N. (de quibus dicitur Q. 227) ; — viola-

ceus in Missis de Passione (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, n. 2). — In Missis de Passione Votivis per annum, Officio conformibus, de quibus dicitur in Nota II ad Q. 226, color præscribitur rubeus toto anni tempore. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 2.)

III. In Missis Votivis pro diversis necessitatibus color est : 1º albus pro Missa in Anniversario Consecrationis Episcopi, et pro Missa pro Sponso et Sponsa ; — 2º rubeus in Missa pro eligendo Summo Pontifice ; 3º — violaceus in omnibus aliis Missis.

NOTA. I. In Missis Votivis **solemnibus** color paramentorum Altaris debet esse conformis colori paramentorum Celebrantis. In Missis Votivis **privatis** vero, hæc conformitas non requiritur, et paramenta Altaris possunt esse conformia Officio diei, dum paramenta Celebrantis sunt coloris Missæ Votivæ, conformiter regulis supra datis. Si tamen Missa Votiva privata celebratur cum solemnitate extrinseca, decet, quoad colorem paramenta Altaris esse conformia paramentis Celebrantis.

NOTA. II. Exposito SS. Sacramento ad Altare in quo celebratur Missa Votiva, paramenta Altaris semper esse debent coloris albi ; paramenta Celebrantis vero, ejusque Ministrorum erunt coloris qui Missæ Votivæ convenit, quicumque sit. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 133.)

ARTICULUS II

DE MISSIS VOTIVIS RATIONE SOLEMNITATIS
INTRINSECÆ

NOTA. Ut clarius perspiciantur, et magis apte proponantur diversarum Missarum Votivarum regulæ et qualitates, et prius cognoscantur ea quæ magis practica occurrent, ubi agitur de earum distinctione ratione solemnitatis intrinsecæ, juvat primo loco dicere de Missis Votivis privatis, deinde de Missis Votivis solemnibus, denique de Missis Votivis privilegiatis.

§ I. DE MISSIS VOTIVIS PRIVATIS

Q. 235. *An Sacerdos pro libitu suo potest, quotiescumque dies libera datur, celebrare Missam Votivam privatam?*

R. Supra in responso ad Quæstionem 208, dictum fuit Missam Votivam privatam eam esse, quæ celebatur ex speciali desiderio aut devotione, vel Sacerdotis Missam celebrantis, vel ejus qui Missam petit. Rubrica Missalis (Tit IV, n. 3) dicit, Missas Votivas privatas dici posse diebus liberis « pro arbitrio Sacerdotum. » Quod tamen tam large videtur indulgere, mox eadem Rubrica restringit, ubi addit : « Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat. » (Cfr. QQ. 15, 16.)

Q. 236. *Quæ causa dicenda est rationabilis, ut valeat Missa Votiva privata celebrari?*

R. Hac de re S. Alphonsus in sua Theologia morali (Lib. VI, n. 419) dicit : « Notato **nisi rationabili de causa** : unde ait Merati, non sufficere pro causa ad passim Missas Votivas celebrandas, ut Sacerdos cito se expeditat, vel alia similis levis occasio. Verum sine dubio, petitio facta a dante eleemosynam alicujus Missæ Votivæ erit justa causa illam celebrandi. Necnon probabiliter etiam censem Tamburinus, sufficientem esse causam specialem devotionem erga aliquod Mysterium, vel Sanctum, hoc enim (ut ait) faciunt viri timorati sine scrupulo. Imo Roncaglia putat præfatam Rubricam esse tantum de consilio, et nullo modo obligare, ita, ut etiam ad passim Missas Votivas dicendas, nulla causa requiratur : nam alias forte, dicit, videretur Rubrica sibi contradicere, cum antea dixerit Missas Votivas celebrari posse **pro arbitrio Sacerdotum**; arbitrium autem non limitatur ad causam ; huic tamen opinioni non acquiesco, si quis passim vellet sine ulla causa Missas Votivas recitare ; Rubrica enim per illa verba : **id vero passim non fiat**, restringit arbitrium, ita ut ipsæ passim nequeant celebrari, nisi adsit rationabilis causa. »

Q. 237. *Quibus diebus prohibentur Missæ Votivæ privatæ?*
R. Missæ Votivæ privatæ (cfr. Q. 208), sive privatim

dicantur, etiam pro aliqua causa gravi, sive cum cantu et etiam cum externa solemnitate celebrentur, prohibentur :

1º in Festis duplicibus quibuscumque ;

2º in Dominicis omnibus ;

3º infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi ;

4º in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, et Pentecostes ;

5º in Feriis privilegiatis, quæ sunt Feria IV Cinerum, et Feriæ omnes Hebdomadæ sanctæ.

(Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 2.)

Permittuntur itaque Missæ Votivæ privatæ :

1º in Festis ritus semiduplicis et simplicis ; sub quo nomine Festorum etiam intelliguntur Officia Votiva per annum, quando sunt ritus semiduplicis ;

2º in diebus infra Octavas omnium Octavarum communium, quando Officium fit de die infra Octavam, aut de Festo semiduplici ;

3º in Vigiliis minoribus ;

4º in Feriis omnibus, etiam majoribus, quæ non sunt privilegiatae.

NOTA. Missæ Votivæ privatæ etiam prohibentur in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum, 2 Novembris ; in qua, etsi Officium semiduplex fuerit dictum de die infra Octavam Omnium Sanctorum, omnes Missæ, præter Conventualem, dici debent de Requiem.

Q. 238. *An licet celebrare Missam Votivam ea die, qua fit Officium illius Sancti, de quo Votiva dicenda esset?*

R. Minime hoc licet ; sed ipsa Missa Festiva dicenda est, utpote majoris dignitatis quam Missa Votiva. Unde si quis, die 25 Augusti, in Festo semiduplici S. Ludovici, Confessoris, deberet celebrare Missam in honorem hujus Sancti, Missam utique celebraret, non ut Votivam, sed more Festivo ; item, si quis die 9 Decembris, qua ordinarie dicitur Officium de 2 die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, deberet celebrare Missam in honorem ejusdem B. Mariæ Virginis, diceret Missam conformem Officio, de Immaculata

216 (Q. 239-242) De Missis Votivis privatis

Conceptione, non ut Votivam, sed more Festivo ; nec liceret quidem dicere Missam ex quinque Votivis de S. Maria, pro tempore Adventus in Missali Romano descriptam. (Cfr. Q. 210.)

Q. 239. *An Sacerdos, qui a Fidelibus eleemosynam acceptit ad celebrandum Missam in honorem alicujus Sancti, vel de aliquo Mysterio, dum ritus non permittit celebrationem Missæ Votivæ, potest saltem Missæ occurrenti Commemorationem addere Sancti istius, vel Mysterii ?*

R. Respondendum censuit S. Rituum Congregatio, non licere. (Decr. 7 Septembris 1850, n. 2981, antiqu. 5146, ad 3.) Si autem in Dominicis tertia Oratio ad libitum præscribitur, hanc Orationem, tertio loco dicendam, decet, sed non oportet (quia nullibi id præcipitur), esse Orationem congruam voto petentis, sive ex Missis Votivis, sive ex Orationibus diversis ; non tamen forsan in Missa parochiali aut conventuali.

Q. 240. *Quæ sunt Missæ partes ad quas præcipue attendi debet in Missis Votivis privatis ?*

R. Sunt præsertim sequentes : 1) Hymnus angelicus *Gloria in excelsis Deo* ; 2) Orationes ; 3) Sequentia ; 4) Symbolum ; 5) Præfatio ; 6) Oratio *Communicantes* ; 7) *Ite Missa est* ; 8) ultimum Evangelium.

Q. 241. *In Rubricis specialibus præscribitur, quod Tempore Passionis in Missis de Tempore omittuntur : 1º Psalmus Judica, ante Confessionem ; 2º Gloria Patri, ad Introitum, et Ps. Lavabo ; an hæc servanda sunt in Missis Votivis privatis ?*

R. Hæc non omittuntur in Missis Votivis, nequidem si Votivæ dicerentur de Cruce, aut de Passione Domini.

Q. 242. *An Hymnus Gloria in excelsis dicitur in Missis Votivis privatis ?*

R. Cum Hymnus *Gloria in excelsis* signum quasi sit Festivitatis vel Solemnitatis, ideo, ut appareat differentia inter Festa, eorumque Commemorationes quæ per Missas Votivas privatas peraguntur, regula datur, quod Hymnus iste non dicitur in Missis Votivis privatis.

De Missis Votivis privatis (Q. 242) 217

Quædam tamen dantur ab hac regula exceptiones, scilicet :

1º In Missis Votivis quæ de B. Maria Virgine in die **Sabbato** celebrantur, dicitur Hymnus ; quia Sabbatum ab antiquissimo tempore non nihil habuit et habet solemnitatis in honorem ejusdem B. Mariæ Virginis.

2º In Missis Votivis quæ celebrantur, vel de S. Angelo particulari, vel de SS. Angelis Custodibus, vel de SS. Angelis generatim, quocumque Hebdomadæ die celebrantur, dicitur Hymnus *Gloria in excelsis*, cujus prima verba ab Angelis primum in Nativitate Domini fuerunt cantata.

3º In Missis Votivis quæ celebrantur de Sancto quocumque in ejus die obitus, dicitur Hymnus ; quia tunc Missa Votiva aliquo modo fit semifestiva : est enim partim Votiva, quia Officio diei non correspondet, et partim Festiva, quia eo die celebratur quo Sanctus obiit, seu quo Sancti proprius dies festus peragit.

EXEMPLUM. Die 23 Septembris, celebratur Festum semiduplex S. Lini, Papæ et Martyris ; eodem die occurrit Festum simplex S. Theclæ, Virginis et Martyris, cujus Commemoratio tantum fit in Officio et Missa S. Lini ; si quis eo die de S. Thecla Missam Votivam celebrare vellet, diceret in hac Missa Hymnum *Gloria in excelsis*, quia Missa Votiva celebratur in die obitus, seu die Festivo S. Theclæ, et ideo, licet Votiva, partim est Festiva.

4º In Missis Votivis quæ celebrantur de Sancto, vel de Mysterio, infra Octavam eorum Festi, dicitur etiam Hymnus ; quia Octava est prorogatio alicujus Festi ad octo dies continuos, qui dies aliquo modo censemur esse unus dies ; ideoque, durante Octava, Missa Votiva de eo Sancto, vel Mysterio cujus Octava celebratur, etiam fit quasi semifestiva, quæ censemur celebrari in die festivo hujus Sancti vel Mysterii.

EXEMPLA. Die 4 Julii, dicuntur Officium et Missa de 6 die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli ; in Diœcesi Mechlinensi fit, in hoc Officio, et in hac Missa SS. Apostolorum, Commemoratio Octavæ S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, Diœcesis Patroni, cujus Festum celebratur 1 Julii, ritu duplice 1 classis cum Octava ; qui hoc die celebraret Missam Votivam de S. Rumoldo, eam celebrabit more Votivo quidem, sed ta-

men, ratione Octavæ S. Rumoldi, dicet Hymnum *Gloria in excelsis*.

Die 11 Decembris, celebratur Festum semiduplex S. Damasi, Papæ et Confessoris, infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariae Virginis; hoc die Missa Votiva de Immaculata Conceptione celebraretur more Votivo quidem, sed tamen, etiamsi dies 11 Decembris non esset Sabbatum, diceretur Hymnus *Gloria in excelsis*, ratione Octavæ Immaculatæ Conceptionis, cuius Missa Votiva celebratur.

Pro Missa Votiva de Mysterio exemplum ex Kalendario Ecclesiæ universalis non potest dari, quia Mysteria de quibus Votivæ Missæ dici possunt, aut non habent Octavam, aut, si habent, Octava eo iitu jam celebratur, ut Missis Votivis non detur locus, ex. gr., Octava SS. Corporis Christi; attamen, in iis Ecclesiæ particularibus posset exceptio pro recitatione Hymni *Gloria in excelsis* applicabilis aliquando esse, in quibus, ratione Tituli, aut ex privilegio, unum vel alterum celebraretur cum Octava Mysterium, puta, SS. Nominis Jesu; SS. Cordis D. N.; Pretiosissimi Sanguinis D. N.; SS. Trinitatis.

Q. 243. Quot Orationes dici debent et possunt in Missis Votivis privatis?

R. Dictum fuit supra, in responso ad Quæstionem 208, ad II, Missas Votivas privatas esse ritus simplicis; Festi simplicis itaque naturam et valorem habent; unde regula datur, in Missis Votivis privatis tot dicendas esse Orationes, quot in Missis Festi simplicis dicuntur; ergo saltem tres dici debent; possunt tamen dici plures, ad arbitrium Sacerdotis, scilicet quinque, vel ad summum septem; et si ad arbitrium Sacerdotis adduntur, oportet ut numerus omnium Orationum sit impar; ideo dicitur posse adjungi usque ad quinque vel ad septem.

Cæterum regulæ expositæ in prima Tractatus Sectione, de numero et ordine hujusmodi Orationum in Missis ritus simplicis, observandæ omnes sunt in Missis Votivis privatis. (Cfr. Sectio I, Caput IV, Artic. II, Q. 72; Artic. III, QQ. 86, 88 ad 92.)

Q. 244. Quæ dicenda sunt Orationes in Missis Votivis privatis, et quo ordine?

R. In Missis Votivis privatis dici debent Orationes sequentes, et sequenti ordine: prima Oratio est ipsa Oratio substantialis Missæ Votivæ, scilicet de eo cujus Missa Votiva dicitur objecto: — secunda Oratio dici-

tur ea quæ Officio diei correspondet, Oratio Missæ propriæ diei; — tertia dicitur ea quæ in Missa diei secundo loco dici debuisset, nempe Commemoratio specialis, si sit facienda, alias Commemoratio communis. (Cfr. Q. 74.)

EXEMPLA. 1º Die 13 Julii, celebratur Festum semiduplex S. Anacleti, Papæ et Martyris, pro cuius Missa indicatur secunda Oratio *A cunctis*, et tertia « ad libitum ». Si hoc die dicitur Missa Votiva privata in honorem S. Aloysii Gonzagæ, prima Oratio erit S. Aloysii, secunda S. Anacleti, tertia *A cunctis*. — Si dicitur Missa Votiva de SS. Sacramento, prima Oratio erit SS. Sacramenti, secunda S. Anacleti, tertia *A cunctis*. — Hisce Orationibus completer numerus ternarius Orationum qui requiritur; ideo Oratio tertio loco assignata in Missa S. Anacleti, scilicet Commemoratio communis ad libitum Sacerdotis eligenda, in Missa Votiva S. Aloysii potest omitti.

2º Die 23 Septembris, celebratur Festum semiduplex S. Lini, Papæ et Martyris; in ejus Missa indicatur secunda Oratio S. Theclæ, Virginis et Martyris, tertia vero *A cunctis*. In Missa Votiva privata S. Aloysii Gonzagæ, secunda Oratio dicitur S. Lini, tertia S. Theclæ; et quia tres requisitæ Orationes jam ad sunt, Oratio *A cunctis*, tertio loco assignata in Missa S. Lini, utpote Commemoratio communis, negligi potest, et dici non debet.

NOTA. I. In Decreto generali S. Rituum Congregationis, de Missis Votivis, statuitur: « Orationes dicantur diei et tempori congruentes, etiam in Missa Votiva de SS. Sacramento. Quod si infra Octavam Missa Votiva dicatur, secunda Oratio erit de Octava, tertia autem de tempore. » (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 3.)

Super hac Decreti præscriptione animadvertere juvat:

1º Quoad Missam Votivam de SS. Sacramento, dubitatum fuit aliquando, pro casu quod nulla Commemoratio specialis in Missa diei facienda erat, « an in Missa Votiva SS. Sacramenti pro tertia Oratione dicenda sit ea quæ secundo loco erat dicenda ratione temporis occurrentis, vel potius ea quæ est assignata secundo loco infra Octavam ejusdem SS. Sacramenti? » (Cfr. Q. 81, Nota, nn. 11 et 15.) Et S. Rituum Congregatio: « Orationem temporis occurrentis dicendam esse censuit. » (Decret. 4 Julii 1705, n. 2155, antiqu. 3723.) Hanc dispositionem rememorari voluit in præsenti Decreto S. Congregatio.

Exemplum datur supra pro Missa Votiva in Festo S. Aniceti.

2º Animadvertere juvat quoad Missam infra Octavam, quod tertia Oratio « de tempore » intelligenda est illa quæ in Missa de die infra Octavam indicatur secunda, et quæ, nulla occurrente Commemoratione speciali, est Commemoratio communis pro Octavis a Rubricis assignata (cfr. Q. 81, Nota).

EXEMPLUM. Die 13 Septembbris, dicitur Officium et Missa de sexta die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V.; in Missa diei dicitur secunda Oratio de Spiritu sancto, tertia Ecclesiae, vel pro Papa. Si Sacerdos hac die celebrat Missam Votivam in honorem S. Joseph, Sponsi B. M. V., in Missa dicat secundam Orationem de Octava Nativitatis B. Mariæ V., et tertiam de Spiritu sancto. — In Titulo IX Rubricarum generalium, indicatur quidem quod, tempore anni ab Octava Pentecostes usque ad Adventum currente, in Festis semiduplicibus et simplicibus dicitur secunda Oratio *A cunctis*, et tertia ad libitum (cfr. Q. 81, Nota 9); sed præsens Octava, *infra hoc tempus celebrata*, est quasi parenthesis in hoc tempore, quæ ipsa constituit aliquod tempus de quo ratio est habenda; jamvero pro hujusmodi tempore, nempe pro Octavis B. Mariæ Virginis, Rubrica indicat Orationes supra dictas (cfr. Q. 81, Nota 10); et proinde Oratio de tempore, in nostro casu, erit, non *A cunctis*, de tempore a Pentecoste ad Adventum, sed de Spiritu sancto, de tempore Octavarum B. Mariæ Virginis.

NOTA. II. Si contingit Missam Votivam privatam dici de eo cuius Commemoratio in Missa propria diei fit, patet quod in Missa Votiva hæc Commemoratio omititur, ne bis de eodem dicatur Oratio; et tunc tertio loco dicetur ea Oratio quæ in Missa diei tertia præscribitur.

EXEMPLUM. Si 23 Septembbris celebranda est Missa Votiva de S. Thecla, ejusdem dicetur prima Oratio; secunda erit S. Lini; sed tertia dicenda erit *A cunctis*, et non iterum, ut patet, S. Theclæ. Similiter, in Missa qua Votiva celebraretur, die 11 Decembbris, de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis, secunda Oratio diceretur S. Damasi, tertia autem de Feria Adventus, omessa Commemoratione Octavæ Immaculatæ Conceptionis.

NOTA. III. Exceptions ad propositam regulam notantur sequentes:

Si quis Feria V dixit Officium Votivum de SS. Sacramento, aut Feria VI Officium Votivum de Passione

Domini, et celebrat Missam Votivam de SS. Corde Iesu animadvertere debet, ob identitatem Mysterii non posse dici in Missa Votiva secundo loco Orationem Officio diei correspondentem, nempe de SS. Sacramento, aut de Passione Domini. (Cfr. dicta Q. 95.) S. Rituum Congregatio declaravit in tali casu in Missa Votiva de SS. Corde Jesu, si non occurrant aliæ Commemorations speciales, secundam Orationem esse dicendam, non de Officio Votivo diei, sed de tempore. (Decret. 6 Februarii 1892, n. 3764 ad 11.) Igitur dicentur secunda et tertia Oratio illæ ipsæ quæ pro Missa ipsis Officii Votivi indicantur.

Idem dicendum est, juxta Decretum citatum, si dicitur Missa Votiva de Passione Domini, quando recitatum fuit Officium Votivum de SS. Sacramento, et viceversa; item si dicitur Missa Votiva de S. Cruce, quando recitatum fuit alterutrum horum Officiorum Votivorum.

Q. 245. Quid animadvertendum est pro tertia Oratione in Missis Votivis de B. Maria Virgine, et de Sancta Familia?

R. I. Singulare quid pro Missis Votivis privatis de B. Maria Virgine præscribitur in Rubricis generalibus Missalis (Tit. IX, n. 15); etenim pro tertia Oratione, si hæc est Commemoratio communis, præscribitur dicenda, non Oratio quæ in Missa diei secundo loco dici debuisse, sed Oratio de Spiritu sancto. Quæ Rubrica, observanda in quacumque Missa Votiva de B. M. V., etiam in Votiva Septem Dolorum, et Immaculatæ Conceptionis præscripta est, ut vitetur talis Oratio in qua B. Mariæ Virginis jam fit mentio, qualis est, ex. gr., Oratio *A cunctis*; ne bis de eadem B. Maria Virgine fiat mentio in Orationibus præscriptis. (Cfr. Q. 117.) Præterea mysticæ rationes etiam possunt afferri, quare tertia hæc Oratio selecta fuerit speciatim de Spiritu sancto.

EXEMPLUM. Die 13 Julii, in Festo semiduplici S. Anacleti, si Missa Votiva privata celebratur de B. Maria Virgine, tertia Oratio itaque non dicetur *A cunctis*, ut supra in exemplo allato, sed de Spiritu sancto, neglectis, in quantum quæstio est de Orationibus quæ dici debent, Orationibus *A cunctis*, et ad libitum,

222 (Q. 246) De Missis Votivis privatis

quæ secundo et tertio loco in Missa S. Anacleti præscribuntur; in altero exemplo autem supra allato, tertia Oratio *de Spiritu sancto* non dicetur, quia dicenda occurrit tertio loco Commemoratio S. Theclæ; quod ex sequenti Quæstione 247 intellectum habebitur.

II. Hac occasione quæri potest, quæ Oratio in casu tertio loco sit dicenda in Missa Votiva de Sancta Familia, in cuius Oratione nominantur B. Virgo Maria et S. Joseph. Hucusque authentica declaratio desideratur. Salvo meliori, videtur non perperam in casu etiam dici Oratio *de Spiritu sancto*, loco Commemorationis communis *A cunctis*, vel alterius de B. Maria Virgine.

Q. 246. Quid notandum est de Orationibus in Missis Votivis 1º de S. Joseph; 2º de SS. Apostolis Petro et Paulo; 3º de Sancto Ecclesiæ Titulari; 4º de Omnibus Sanctis; 5º in Feria III Rogationum?

R. 1º In Missa Votiva quæ celebratur de S. Joseph, quo tempore Oratio *A cunctis* dicenda venit, si tertio loco dicenda est hæc Oratio, dicitur, omissa nomine S. Joseph (cfr. QQ. 121, 2º; et 123, 1º).

2º In Missa Votiva de solo S. Petro Apostolo, dicitur secunda Oratio S. Pauli; et in Missa Votiva de S. Paulo Apostolo, dicitur secunda Oratio S. Petri (cfr. Q. 79); qua dicta, dicitur tertio loco Oratio quæ Officio diei correspondet; et si nulla ulterius Commemoratio specialis est facienda, cum numerus ternarius requisitus adsit, nulla Commemoratio communis addi debet.

Si Missa Votiva communis de SS. Apostolis Petro et Paulo celebratur, et eo tempore anni dicenda venit tertio loco Oratio *A cunctis*, hujus loco dicitur, juxta Rubricam (Tit. IX, n. 15), Oratio B. Mariæ V. *Concede nos famulos* (cfr. QQ. 121, 3º; et 123, 1º).

Sed in Missa Votiva Omnium SS. Apostolorum, quæ assignatur in Missalis Appendice pro Feriis tertii non impeditis, dici debet Oratio *A cunctis*. (Decret S. Rituum Congregationis, 18 Julii 1884, n. 3612, antiqu. 5914, ad 1.)

3º Si Missa Votiva celebratur de Sancto Titulari Ecclesiæ in ejus Ecclesia, quo tempore dicenda foret tertio loco Oratio *A cunctis*, tunc vel omittitur ejus mentio in

De Missis Votivis privatis (Q. 247) 223

Oratione *A cunctis*, vel hujus loco dicitur Oratio « ad poscenda suffragia Sanctorum »: *Concede quæsumus* (cfr. QQ. 121, 4º; et 123).

4º In Missa Votiva Omnium Sanctorum tertio loco semper dicitur pro Commemoratione communi Oratio *de Spiritu sancto*, quæ secunda est infra Octavam Omnium Sanctorum, quando dicitur Missa de die infra Octavam.

5º Si in Feria III Rogationum Officium fit de hac Feria, in omni Missa Votiva quæ celebratur, secunda Oratio sumitur, non de Officio, scilicet de Dominica præcedente, sed de Rogationibus.

NOTA. De Orationibus in Missa Votiva pro Gratiarum Actione, vide quæ dicta fuerunt Q. 233.

Q. 247. Nonne aliquando plures quam tres Orationes dici debent in Missis Votivis privatis?

R. Prænotatur quod Orationes *A cunctis*, et *de Spiritu sancto*, in exemplis (QQ. 244 et 245) diei 13 Julii, tertio loco assignatae, sunt aut censentur Commemorations communes (cfr. QQ. 80 ad 88); quæ, in Missis assumptæ ad habendum, quando requiritur, numerum trium Orationum, locum cedunt Commemorationibus specialibus (cfr. QQ. 75 ad 79); et ideo in altero exemplo supra posito, diei 23 Septembris, quæstio non est pro tertia Oratione, de Oratione *A cunctis*, neque de Oratione *de Spiritu sancto*, occurrente jam Commemoratione speciali S. Theclæ, quæ ea est quæ numquam omitti possit. Unde profecto intelligetur deduci jam posse sequens ad propositam Quæstionem responsum:

Affirmative; plures aliquando dici debent quam tres in Missis Votivis privatis Orationes: scilicet, quando in Missa quæ Officio correspondet, duæ, aut aliquando plures quam duæ factæ fuerunt Commemorations specialis; nulla enim in Missis Votivis privatis omitti potest Commemoratio specialis; et in tali casu quidem numerus impar non requiritur, quia non adduntur hujusmodi supra ternarium numerum Orationes ad arbitrium Sacerdotis, sed ex præcepto ipsius Rubricæ Missalis.

EXEMPLUM. Die 23 Septembris, in Festo semiduplici S. Lini,